

talis electus balotaretur in dicto maiori consilio. ¶ Si vero
 talis electus qui esse non poterit fuerit balotatus et confir-
 matus, tunc dentur duo brevia in maiori consilio, et habentes
 ex dictis brevibus elligant unum alium offitiale loco illius
 non valentis esse. ¶ Quibus sic electis tunc balotentur in 5
 dicto maiori consilio unus contra alium, et optinens sit¹⁾ de-
 putatus ad dictum offitium. ¶ In quo quidem consilio domi-
 nus potestas vel vicarius loco potestatis primo ponere debeat
 balotam suam, et omnes consiliarii de dicto consilio ponere
 debeant manus in ambobus pissidibus²⁾, tunc quando aliquis 10
 offitialis in dicto consilio balotatur, pena decem sold. pro
 quolibet consiliario. ¶ Et quilibet offitialis qui plures balotas
 habuerit in dicto consilio, sit firmus offitialis in illo offitio
 in quo per maiorem partem maioris consilii fuerit confir-
 matus, et hoc si secundum formam statutorum Tergesti ipse 15
 offitialis [in] dicto offitio esse potuerit. ¶ Et quocienscunque
 aliquis offitialis fuerit electus et confirmatus in maiori con-
 scilio, ea die qua fuerit confirmatus vel sequenti per dominium
 mittatur per ipsum offitiale, si fuerit in civitate Tergesti, et
 60 B dare [debeat] sibi sacramentum si voluerit ipsum // offitium 20
 acceptare vel renunciare, ita quod talis offitialis in dicto ter-
 mino debeat et teneatur acceptare vel renunciare, et si renun-
 tiaverit, tunc fiat alius offitialis loco illius.

Cap. XXXVII. Rubrica de electione consilii
 quadraginta sapientum sive rogatorum. 25
 Et eorum offitio.

S tatuimus quod iudices sive rectores, qui pro tempore fue-
 rint, in introitu eorum regiminis elligant et elligere de-
 beant quadraginta bonos homines de maiori consilio Tergesti,
 etatis triginta annorum et ultra, quos videbunt et credunt me- 30
 liores ad consulendum pro bono statu Tergesti. ¶ Qui sic electi
 sint et esse debeant de consilio sapientum sive rogatorum,
 et durent toto tempore regiminis ipsorum iudicum vel rectorum

¹⁾ sic. ²⁾ possidibus.